De Evangelio (Latin)

Pseudo-Hilary (uncertain)

SermonIndex.net / Church Fathers

Authorship. These works were handed down under the name of Hilary, but their authors are unknown.

De Evangelio

Hilarii De Evangelio — XB
Christus hic flos (est). decor (hic) est fonsque perennis.
hunc postquam uerbo conceptum numinis alti
plena deo uirgo utero est enixa pudico
effulsitque nouus terris gaudentibus infans.
protinus impleuit totum lux clarior orbem.
desuper astra pios inhiant spectantia uultus,
atque decus tantum iam terris inuidet aether.
at tellus ridens laetatur germine sacro.

spargit humum uiolis alieno tempore quotque
area purpureos submittit caespite flores.
Omnia festa nitent: gaudet mare. nubila. uenti;
solum trepidare metu. te. perfide serpens,
ille dies aegrum uidit pallente ueneno
quassantemque caput et pectora dira terentem,
quod salus e caelo terris. quod tutor adesset,
saluandos populos quaerens a faucibus atris.

ereptam plagis plebem. maestoque ululatu
prosequeris hominum uitam mundique salutes.
Interea et sidus exortum numinis alti
apparet caelis et terras lumine complet.
agnouere Magi stellam cunasque requirunt.
munera sacra ferunt. myrramque et suauia tura.
tura deum monstrant. designat myrra sepultum.
Salue. uera dei proles. puer aethere missus.

non commune genus nec moribus edite nostris;
innuptae matris pignus uterique pudici
partus et intactae mirandus uirginis infans.
quamuis illa pio iactet se nomine matrem.
fingentis quendam uentris imitata tumorem.

ostentetque tuas cunas risuque salutet.
uirgo tamen mater et magni coniugis expers
ignorat causam subolis. sed gaudia nouit.

tu sacri sermonis opus. satus ore paterno.
uerbigena diues. linguae mirabile germen.
commixtumque genus caeli terraeque. potenter
ut caeli terraeque simul te cura moueret.
tu uirtute leo. placidis tu mentibus agnus: I
tu stator gladiusque patris: tu dextera summi.
uiuorum iudex. iudex tu luce carentum.
cunctorum genitor solum te dicere natum

dignatur. solum communis cura parentum:
heres tantorum solus tu iure bonorum.
Hunc tu olim. dictis uariata imagine rerum.
spondebas terris. genitor. per carmina Regum.
perque prophetarum uoces. per sidera caeli:
per Seraphin Cherubinque tuum. modo pandere fas sit
excelsa secreta poli: nam quattuor altum
circumdant solium uariis animantia formis:

primum hominis facies. aliud sunt ora leonis.
inde aquilae uitulique caput. his omnibus alae:
diuisae officiis hae sunt; nam maxima summi
ora dei uelant semper faciemque coruscam
praetexunt. nimius noceat ne fulminis ardor
optutuque sacer feriat ceu fulmine mundum:
atque aliae inuoluunt similes uestigia sacra,
ne forte incendat pressas uis ignea terras:

ternaque tum binae uolitant per moenia mundi
auratasque ferunt pennas. et lumine multo
peruigiles discunt urbes actusque precesque.
Haud dubia his formis Christi monstratur imago.
namque et homo est Christus. mortis gustator amarae.
et uirtute leo est. indoctos caedere ferro;
et uitulus. quoniam est peccantis uictima mundi.
qui bene pro cunctis impenditur hostia terris.

quid facies aquil.ae post haec. quid forma requiris?
permittit praedam caelo sacer ales; ouans is
Christus erit, terris raptum quem collocet astris;
namque ille in caelis placido bonus interuentu

uulnera peccantum celat, grauiora parentum
mitigat et terris iratum temperat ignem.
Tu qui terrigeno referens ueniam. ipse propagans.
ac tu. magne pater. natum pietate quietus.

sublimi residens solio, opera ardua cernens ;
oceani ceu forma maris uitreique elementi.
tum senior domino seruit chorus hymno peritus,
bis duodena uirum facies, et crinibus albis;
caesariem rutilae ex auro pressere coronae
inuoluitque humeros stola candida, mitis amictus;
surgentes crebro capitis uincimina ponunt,
te dominum linguis, te consona uoce canentes:

Agie, sancte deus, uigor ignee, celse Sabaoth!
teque genus hominum celebrat sermone frequenti.
te pecudes uolucresque sonant, te muta loquuntur,
te canit omne nemus, colles uallesque supinae;
te uenti strepitant, pelagi te murmurat unda.
sacrorum ritu uario templisque dicatis
in nemore incluso, sculptis de marmore templis,
aere cauo positis signis picturaque inani,

te gentes populique colunt, tibi uota precesque
suscipiunt, numenque tuum nomenque requirunt.
Ac uelut in tenebris errat, cui lumen ademptum:
sentit adesse hominem; qui sit, ubi denique sistat,
nescit, et ignarus per inania brachia iactat,
prendere si possit tactumque adsistere saltem:
non aliter gentes, caecis erroribus actae,
ante oculos positum quaerunt; sed lumine cassae.

transiliunt ipsum quem quaerunt; ludicra captant
effigiesque locant uarias et nomina mille
imponunt uni, si possit adesse uocatus.
illos culpa premit grauior, quibus adstitit ipse
ante oculos doctor uerus; quibus ore locutus,
quos prece, quos dictis monuit, quos denique factis.
nec uidere tamen caeci, cum lumen adesset
per populos clarum, factis celebrans genitorem.

namque iacebat homo, pallenti marcidus ore,
cui inerat morbis corpus compage solutum
uiuentisque animae dudum iam mortua membra.

”Surge, ait, atque tui iam lecti baiulus esto. ”
exilit atque alacer humeris uehit ipse cubile.
ecce trahebatur caecus, quem lumine mater
ediderat uiduum, communis lucis egentem,
non totum natum, mundi quia parte carebat.

ut uidit, miseratus ait: Hunc cernere iussi!protinus
ad caelum caecus noua lumina tollit.

Source. Latin text from the Corpus Scriptorum Ecclesiasticorum Latinorum (CSEL) collection of the Open Greek and Latin project (digital edition of ***Cypriani Galli Poetae Heptateuchos*** edited by Rudolf Peiper (Prague, Vienna, Leipzig, Tempsky, Freytag: 1891) Corpus Scriptorum Ecclesiasticorum Latinorum 23), encoded in EpiDoc TEI XML. Digitised and corrected by the Open Greek and Latin team (University of Leipzig and partners); the text is taken from the printed edition by OCR with correction, so some errors may remain. SermonIndex has only divided it into short sections for reading; the critical notes, margin notes and apparatus of the printed edition are not shown here but are kept in the XML download.

Licence. Creative Commons Attribution-ShareAlike 4.0 International (CC BY-SA 4.0). You may share and adapt this text if you credit the Open Greek and Latin project and release your version under the same licence.